

Johann Christian Petersen

**Programma Paschale Qvo Academiae Rostochiensis Rector, Johann. Christian. Petersen, Jur. Utr. D. & Cod. Prof. Ord. Angelum Resurrectionis Christi Nuntium atque Testem Civibus Academicis audiendum sistit**

Rostochi[i]: Typis Joh. Jac. Adleri, [1723?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877326673>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1723. Ostern.

~~M-1256. 177.~~

Op. 1723

PROGRAMMA PASCHALE,  
QVO  
Academiae Rostochiensis  
RECTOR,


JOHANN. CHRISTIAN.  
Betersen,

*Jur. Utr. D. & Cod. Prof. Publ. Gra.*



ANGELUM  
RESURRECTIONIS  
CHRISTI  
NUNTIIUM atque TESTEM  
CIVIBUS ACADEMICIS

audiendum  
sistit.



ROSTOCHI,  
Typis JOH. JAC. ADLERI, SERENIS.  
PRINC. & Acad. Typogr.

M. 1256 177



*E timeatis vos: Scio namque quod IESUM crucifixum queratis. Non est hic, resurrexit enim, sicut prædixit: venite, videte locum, ubi jacuit Dominus. Sic Angelus, primus ille gloriosissimæ resurrectionis Salvatoris nostri nuncius testisque cœlestis, fœminas exanime, uti adhucdum putabant,*

CHRISTI corpus uncturas, eoque fine monumentum, ubi deposuerant illud, ingressas alloquebatur, *Matth. XXII. 5. 6. Prædixerant olim CHRISTI resurrectionem à morte non Prophetæ solum, verum & ipsemet de eâ non semel, sed iterum atque sapius Discipulos suos, & qui circa eum erant, instituerat, se tertio die sepulchro egressurum suosque revisurum, promittendo, veluti Matth. XII. 40. XVI. 21. XX. 19. Luc. XII. 31. 32. 33. Job. II. 19. 21. Sed, quæ humanæ mentis in rebus divinis infirmitas ac imbecillitas est, illi nihil horum intellexerunt, eratque verbum hoc absconditum ab illis, ut nescirent, quæ dicebantur, teste Luca XII. 34. Quid? nondum sciebant Scripturam, quod oporteret ipsum ex mortuis resurgere, dicente Johanne XX. 9. Ab hac igitur imbecillitate fidei eveniebat, quod mulieres istæ, cum jam resurrexisset CHRISTUS, coëmtis ante aromatibus, ad corpus ipsius in sepulchro jacens ungendum summo mane properarent, sollicitæ in viâ de lapide sepulchrali ab ostio monumenti devolvendo. Id quod acturæ non fuissent, si & Prophetarum vaticinia de Christo rectè intellexissent, & ipsius verbis propriis plenam adhibuissent fidem. Quamquam igitur laudandum in istis sit studium earum & pietas adversus mortuum Dominum suum, cujus corpori hoc quicquid erat honoris erant exhibituræ; haud tamen sine omni incredulitate illud earum propositum erat, cum ex omnibus circumstantiis eluceat, intendisse eas etiam corporis in monumento illo sepulti à corruptione atque putre-*

putredine præservationem. Hanc enim duplicem præcipuam fuisse inunctionis corporum demortuorum causam, constat, de qua vid. WEDELII *Exercit. Medico-Philolog. Dec. V. Exerc. VI.* quæ est de *Balsamatione corporum in genere.* At verò, tale quid ne suspicari quidem de corpore Christi eas oportuisset, nec unquam opinatæ fuissent, si & prædictionibus ejus ipsius perfectum assensum præbuis- sent, & cum iis contulissent, quod dictum *Psal. XVI. 10.* ubi David de incorruptibilitate illius vaticinatus est, inter- prete postea Petro, *Actor. II. 24. 25. 26. 27.* Ut itaque dubi- tantes de certitudine resurrectionis Christi tantò magis instruerentur ac in fide confirmarentur, misit & hîc DEUS Angelum, nuncium istius pariter atque testem, cujus pro- inde ad fœminas istas, viventem inter mortuos adhuc quærentes, allegata sunt verba: quibus & Vos, CIVES ACADEMICI HONORATISSIMI! non temerè me nunc alloqui posse, sum arbitratus. Facturo enim iterum, ex officii, quod gero, Rectoralis ratione, ad Vosmet verba in memoriam redibat, superiore Nativitatis Festo me An- gelum Nativitatis Christi nuncium Vobis audiendum stitisse. Quidnî ergo in hodierni quoque Festi solennita- te angelicis, vos alloqvuturus, uterer verbis? Dixi jam olim, ut plurimum, quando DEUS singulare quidpiam & extraordinarium vel operaturus vel operatus fuit, id An- gelos mortalibus, sive ante sive post factum, insinuasse legi. Id quod præcipuè in iis animadvertimus factum, quæ ad hominum redemptionem & salutem pertinent, aut respectum aliquem habent. Cujus illustre heic ite- rum exemplum habemus, dum Christi, quem, uti propter peccata nostra traditum, sic propter justificationem no- stram resuscitatum esse, ex *Rom. IV. 25.* ignotum non est, resurrectionem Angelus nunciat ac contestatur. Unius tantum Angeli meminerunt & Matthæus *b. l.* & Marcus *XVI. 5.* cum tamen Lucas *XXIV. 4.* duorum facit mulier- culis adstantium mentionem, sicuti & Johannes *XX. 12.*

dicit, Mariam Magdalenam vidisse duos Angelos in albis sedentes, unum à capite, & unum à pedibus, ubi jacuerat corpus JESU. Varios heic deprehendo in conciliandis Evangelistis Interpretes esse, sive veteres consulantur, sive recentiores. Ast, si quid conijcere valeo, non adeò multum hïc difficultatis subesse videtur, cum duo posteriores Evangelistæ de præsentia duorum Angelorum loquantur, priores autem de uno tantum mulieres alloquuto. Quæ admodum enim alioquin in ore duorum aut trium testimonium consistit omne verbum, *Matth. XII. 16.* ita & hoc loco DEUS voluit, duorum Angelorum testimonio resurrectionem Christi probari, haud secus ac in ejus ascensione duo Angeli apparuerunt, eum, uti in cœlum sublatus, rediturum, testantes, *Act. I. 10. 11.* Hunc igitur testimonium resurrectionis Christi binarium Lucas atque Johannes expresse- runt. Ut verò uterque verba faceret, nec simul fieri poterat, nec successivè fieri opus erat, ut aliàs quoque, loco omnium unum loqui, insolens esse non solet. Atque hinc Matthæus æque ac Marcus unum duntaxat, loquentem scilicet illum, memorarunt. Hunc verò, pro scopo nostro, loquentem audiamus, siquidem verbis ipsius inest, quod & nos nostrum in usum convertere habeamus. Missus etenim à DEO non alium in finem tunc fuit, quam ut resurrectionem Christi hominibus, quorum nempe in justitiam refuscitatus est, annuntiaret, perhiberetque testimonium fide dignissimum ac omni exceptione majus. Falsum siquidem est, quod Calvino-Reformati volunt, Angelum hunc è cœlo descendisse ad operculum sepulchri removendum, quo non remoto, nec Christus resurgere potuisset. Potius Christum corpore suo, prægressâ *ἡ ἀποστολή*, jam nunc glorificato, virtute omnipotente, è clauso adhuc sepulchro egressum esse, piè credimus, subscribentes CHRYSOSTOMO *Homil. 90. in Matth.* dicenti: *Post resurrectionem descendit angelus. Cujus autem rei gratia venit Angelus & lapidem sustulit? propter mulieres videlicet; ut enim illum surrexisse credant, sepulchrum*

ebrum vident corpore vacuum, eapropter itaque lapidem ange-  
 lus devolvit; ut & JUSTINO MARTYRI apud GERHAR-  
 DUM Annotat. in Evang. D. Math. ad Cap. XXII. 2. scriben-  
 ti: *Revolvit Angelus lapidem, non ut egressuro Domino januam  
 pandat, sed ut egressus ejus jam facti hominibus præstet indicium.*  
 Hoc verò præstiturus mulieribus sepulchrum ingressis di-  
 xit: *Ne timeatis vos!* Testis est Marcus XVI. 8. quod ha-  
 buerit illas tremor & stupor, quodque timuerint sibi. At-  
 que sic comparatum cum mortalibus est, uti splendorem,  
 quo in plerumque Cælites mundanis apparere solent, o-  
 culi perferre non valent; ita præsentia eorum & aspectu ani-  
 mus obstupescit. Quamobrem sanctis Angelis, ut stupo-  
 rem istum animis expellerent, mentesque consternatas  
 erigerent, istud: *Nolite timere!* acclamare, solenne fuit, te-  
 stantibus exemplis *Judic. VI. 23. Dan. X. 12. Luc. I. 13, 30.* ali-  
 bique. In præsentia autem attenditur abs Interpretibus, quod  
 Angelus fœminas alloquens non sine emphasi exprimat  
 pronomen secundæ personæ: *Ne timeatis VOS!*  
 Commemorat enim Evangelista, quod, Angelo è cœlo de-  
 scendente & accedente tumulum, à timore ejus concus-  
 si sint custodes, & facti, quasi mortui. Hinc Angelus vi-  
 detur illas militibus sepulchrum custodientibus velut op-  
 ponere, quasi diceret: ut illi timoris habeant causam, à  
 vestrà tamen parte non est, cur vobis metuatis. Illi nam-  
 que animo non bono aderant, resurrectionem Christi qua-  
 si impedituri; mulieres autem animo bono advenerant,  
 pietate erga Dominum suum impulsæ, & charitatis supre-  
 mique honoris officium exhibituræ. Id quod etiam sequen-  
 tia ejus indicare verba videntur: *Scio namque quod Jesum  
 crucifixum quæritis.* Ad quæ verba appositè in rem præsen-  
 tem MALDONATUS *Comment. in IV. Evangelist. ad h. l.* sic  
 commentatus est: *Reddit Angelus causam, cur timere (mu-  
 lieres) non debeant, quod non malo, sed bono, ac pio venerint ani-  
 mo, ut Christi Corpus quærerent, & religiosum illi unctio-  
 nis officium exhiberent: idque se scire confirmat, ne fortè, quamvis bonâ*

sint conscientia, tamen propterea aliquid à se mali timeant, quod nesciens, quâ de causa venerint, aut ad furandum corpus, aut ad aliquid aliud agendum mali venisse, suspicari possit. Nec etiam emphasi caret, quod Angelus Jesum crucifixum expressè nominat. Ut nimirum fidem faceret verbis resurrectionem ipsius asserentibus. Asseverare siquidem vult, loqui se de eo ipso, quem illæ quærent: quærebant autem corpus Jesu crucifixi, monumento illi illatum in ibique depositum. Viderant enim, ubi positus erat, *Marc. XV. 47.* Hujus igitur Jesu crucifixi resurrectionem iis annunciat atque testatur: *Non est, inquit, hîc.* Non inveniunt in his Angeli verbis, qui omnipræsentiam humanæ Christi naturæ denegant, quo eandem impugnent refutentve. Negabat namque Angelus, eum ibi præsentem talem, qualem mulieres ipsum quærebant, nempe mortuum inter mortuos, *Luc. XXIV. 5.* linteaminibus involutum & sudario cinctum, *Matth. XXVII. 59. Job. XX. 7.* adeòque localiter inclusum atque visibilem. Talem, inquam, præsentem amplius eum non esse, Angelus dicit. Non enim mortuus adhuc in sepulchro jacebat, sed gloriosus jamjam in Regno suo vivebat. Ab uno verò certoque quodam præsentia modo negato ad omnem præsentia modum negandum non potest valere consequentia. Ecquid enim de DEI ipsius omnipræsentia dicendum aliàs foret, quando is nunc à peccatoribus recedere, nunc pœnitentibus appropinquare, ac ad fideles venire aut reverti dicitur? Quamobrem & Lucas *XXIV. 5.* Angelum quoque dixisse, refert: *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Ut itaque intelligatur, præsentiam Christi, non gloriosam in statu exaltationis, sed humilem, quæ statui exinanitionis respondebat, abs Angelo negari. Hincque absentia causam immediatè mox subjicit: *Non est hîc, resurrexit enim.* Sola nimirum absentia Christi monstrata non sufficiebat fini, propter quem aderat in sepulchro Angelus. Suspiciari namque mulieres potuissent, corpus vel furto sublatum, quale quid Synagoga per custodes argento corru-


corruptos mendaciter divulgari fecerat, *Matth. XXIX. II. - - 16.* vel alium in locum translatum esse, veluti Maria illa sibi imaginata fuerat, *Joh. XX. 13. 15.* Addit propterea statim: *Resurrexit enim.* Resuscitatus jam atque vivificatus gloriose sepulchro egressus est. *DEus cum resuscitavit, solvens dolores mortis, quemadmodum non erat possibile teneri ipsum ab illa, Act. II. 24.* Vivit iterum, inter mortuos in posterum nequiquam quarendus. Quod ut eo minus in dubium vocaretur, provocat Angelus ad ipsas Salvatoris, uti de morte, ita & eam sequuturâ resurrectione, prædictiones: *Sicut prædixit; Confirmans ex verbis Christi ipsius resurrectionem, & mulierum incredulitatem tacite notans, tanquam dicat, si Christo credidissetis, dicenti, se tertia resurrectionis die, facile nunc sine meo etiam testimonio, eum resurrexisse crederetis:* Observatio hæc est *MALDONATI loc. cit.* Prædixisse Christum suam à morte resurrectionem, locis supra jam allegatis probatum dedimus. Hujus ergo prædictionis meminisse fœminas oportebat, sicut ipsemet, de abitu redituque suo cum Discipulis colloquens, *Joh. XIV. 29.* monuerat: *Et nunc dixi vobis, antequam fiat, ut, quando fiet, credatis.* Oblitis verò Angelus in memoriam revocat eam, quò, si suis verbis fortean fidem denegaturæ essent, crederent saltem, quoniam ipse prædixerat ita. Quasi diceret: *Quodsi mihi meoque testimonio diffiditis, verborum illius meminertis, quem per omnem vitam non nisi veracissimum cognovistis, cujus in ore dolus inventus non est, 1. Petr. II. 22.* Imò verò, ulterius progressus, si adhuc nec suis nec Christi verbis credere se posse peruatâ fuerint, propriis tuis fidere sensibus eas jubet, ut, ingressæ sepulchrum ac contemplatæ, minimum oculari crederent experientiæ vacuoque monumento. *Venite, inquit, videte locum, ubi jacuit Dominus.* Ita resurrectionem Christi, Salvatoris nostri, Angelus non annunciarat solum, sed & testatus erat, argumentisque pluribus uno confirmaverat. Quod autem ille verbis, id ipse Christus è sepulchro in vitam reversus in propriâ personâ præstitit, quando non istis mulieribus solum, sed & Apostolis Discipulisque suis se stitit viventem post passiones suas, in multis signis per dies quadraginta, visus illis, & dicens ea, quæ de Regno DEI, *Act. I. 3.* Referunt hic specialia Scripta Evangelistarum, & Paulus etiam *1. Cor. XV, 3. - - 9.* apparitiones Christi post ejus resurrectionem enarrat, argumentum abinde pro nostra olim resurrectione desumens. Ut igitur nec fœminis istis, nec Discipulis ejus, imò nec nobis ulla de resurrectionis ejus veritate dubitandi causa superfit.


Nos

Nos autem, CIVES HONORATISSIMI! quod attinet, Angelum hunc resurrectionis Christi nuncium atque testem, etiam ut nos alloquentem & eadem ipsa, quæ mulieribus, Christi corpus uncturis, verba nobis acclamantem, audiamus, nos decet, imò oportet. In hoc sane, quod Christus resurrexit, maxima nostra consistit consolatio. Gravissimè Paulus hocce describit atque inculcat I. Cor. XV. 12.--24. dicendo: *Si verò Christus predicatur, quod ex mortuis resuscitatus sit; quomodo dicunt quidam inter vos, quod resurrectio mortuorum non sit? Quodsi resurrectio mortuorum non est, neque Christus resuscitatus est. Si verò Christus resuscitatus non est, vana ergo predicatio nostra est; vana verò etiam fides vestra. Invenimur vero etiam falsi testes DEi; quia testamur de DEo, quod resuscitaverit Christum, quem non resuscitavit; si quidem utiq; mortui non resuscitantur. Si enim mortui non resurgunt, neque Christus resuscitatus est. Si verò Christus non resuscitatus est, vana est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris. Utique etiam, qui obdormiverunt in Christo, perierunt. Si in hac vita sumus, qui sperarunt in Christo tantum, miseriore omnibus hominibus sumus. Jam verò Christus resuscitatus ex mortuis est, primitia dormientium factus. Quoniam enim per hominem mors; etiam per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adamo omnes moriuntur; sic etiam per Christum omnes vivificabuntur. Quilibet verò in proprio ordine: primitia Christus. Deinde qui Christi, in adventu ipsius. Hac vera est plenaque expositio, cum applicatione, angelici istius: Non est hic, resurrexit enim. Linquimus suas Pontificiis superstitiosas ad sanctum sepulchrum peregrinationes. Quid enim juvat illud intraspexisse? Christus etenim ibi non est, sed resurrexit, id quod angelico pariter ac innumeris aliis Scripturæ testimoniis immotâ fide credimus. Unde lætitiâ concipimus, quæ esse potest, maximam, certi, & nos non resurrecturos solum olim, sed & ad vitam gloriæ resurrecturos esse. Surrexit enim Christus propter justitiâ nostram, Rom. IV. 25. Faxit modò, qui Christum ex mortuis resuscitavit, resurgat ille quotidie in cordibus nostris, quò, mortificato in nobis veteri homine, novus indies exurgat, & cum ipso in mortem per Baptisma sepulti, in novitate vitæ ambulemus, quemadmodum ipse resuscitatus est ex mortuis per gloriam Patris, Rom. VI. 4.*

P. P. FER. I. PASCH.  
 Sub Sigillo Rector. Acad.  
 Anno MDCCXXIII.







corruptos mendaciter divulgari fecerat, *Matth. XXII. II. - - 16.*  
 vel alium in locum translatum esse, veluti Maria illa sibi imaginata  
 fuerat, *Joh. XX. 13. 15.* Addit propterea statim: *Resurrexit enim.*  
 Resuscitatus jam atque vivificatus gloriosè sepulchro egressus est.  
*DEus enim resuscitavit, solvens dolores mortis, quemadmodum non erat possi-*  
*bile teneri ipsum ab illà, Act. II. 24.* Vivit iterum, inter mortuos in po-  
 pterum neutiquam quarendus. Quod ut eo minus in dubium vo-  
 caretur, provocat Angelus ad ipsas Salvatoris, uti de morte, ita &  
 eam sequuturâ resurrectione, prædictiones: *Sicut prædixit; Con-*  
*firmans ex verbis Christi ipsius resurrectionem, & mulierum incredulitatem*  
*racitè notans, tanquam dicat, si Christo credidissetis, dicenti, se tertia re-*  
*surrecturum die, facile nunc sine meo etiam testimonio, eum resurrexisse*  
*crederetis:* Observatio hîc est MALDONATI *loc. cit.* Prædixisse Chri-  
 stum suam à morte resurrectionem, locis supra jam allegatis prob-  
 atum dedimus. Hujus ergo prædictionis meminisse fœminas o-  
 portebat, sicut ipsemet, de abitu redituque suo cum Discipulis  
 colloquens, *Joh. XIV. 29.* monuerat: *Et nunc dixi vobis, antequam*  
*fiat, ut, quando fiet, credatis.* Oblitis verò Angelus in memoriam  
 revocat eam, quò, si suis verbis fortean fidem denegaturâ ef-  
 fent, crederent saltem, quoniam ipse prædixerat ita. Quasi  
 diceret: Quodsi mihi meoque testimonio diffiditis, verbo-  
 rum illius meminertis, quem per omnem vitam non ni-  
 si veracissimum cognovistis, cujus in ore dolus inventus non est,  
*1. Petr. II. 22.* Imò verò, ulterius progressus, si adhuc nec suis nec  
 Christi verbis credere se posse persuasè ruerint, propriis suis fidere  
 sensibus eas jubet, ut, ingressæ sepulchrum ac contemplatæ, mini-  
 mum oculari crederent experientiæ vacuoque monumento. *Venite,*  
*inquit, videte locum, ubi jacuit Dominus.* Ita resurrectionem Christi,  
 Salvatoris nostri, Angelus non annunciarat solùm, sed & testatus  
 erat, argumentisque pluribus uno confirmaverat. Quod autem il-  
 le verbis, id ipse Christus è sepulchro in vitam reversus in propriâ  
 personâ præstitit, quando non istis mulieribus solùm, sed & Apo-  
 stolis Discipulisque suis se stitit viventem post passiones suas, in  
 multis signis per dies quadraginta, visus illis, & dicens ea, quæ de  
 Regno DEi, *Act. 1. 3.* Referunt hic specialia Scripta Evangelistarum,  
 & Paulus etiam *1. Cor. XV. 3. - 9.* apparitiones Christi post ejus  
 resurrectionem enarrat, argumentum abinde pro nostra olim resur-  
 rectione desumens. Ut igitur nec fœminis istis, nec Discipulis ejus,  
 imò nec nobis ulla de resurrectionis ejus veritate dubitandi causa  
 superfit,

Nos

